



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



50  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem  
DISPUTATIO XVII.

continens  
ANTIŒEIN ARTICVLI VII.  
DE

Ecclesia: & in specie  
de Quæstione: An Ecclesia er-  
rare possit in Fide.

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergenſi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

HENNINGO BRAUNSEldagienſi Brunsv.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem Julii.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXX.

COLLEGIUM  
In Augustana Consistoria  
Dissertatio  
CONTINENS  
ARTICULOS  
Ecclesiarum & in specie  
de Quæstione An Ecclesiarum  
in Regalis Auctoritate  
JACOBO MARTINI S.S. Th.  
Bog. & Prof. Reg. Præceptor. Theol.  
HENNINGO BRUNNEN  
Typographum  
Halle in Germania Anno 1711





D. O. M. A.

*Continuatio.*

**R**ogredimur cum Becano ad conclusionem quartam: qua statuit, & defendere conatur, Visibilem Ecclesiam non posse deficere, vel errare in fide: Et formato statu controversiæ primum suam opinionem confirmat duplici argumentorum genere: quorum prius sumitur ex nostris hypothesebus: posterius ex certis scripturæ dictis. Deinde contrariam nostram sententiam refutare satagit. Hac disputatione videbimus, primum, quomodo statum controversiæ formet: Et deinde quomodo ex nostris hypothesebus disputet.

**T H E S I S I.**

Conclusionem in genere proponit hoc modo, & his verbis: *Hæc visibilis Ecclesia non potest deficere vel errare in fide.* Illamq; porro ita explicat, & statum controversiæ format §. 23. & 24. *Hæc conclusio, inquit, non debet intelligi de aliqua parte Ecclesiæ, sed de tota Ecclesiæ. Nam certum est, aliquam Ecclesiæ partem, id est, aliquos Christianos errare posse, & re ipsa errasse. Erravit Arius, negans Christi Divinitatem. Erravit Macedonius, negans Spiritus sancti Divinitatem. Erravit Nestorius, asserens duas in Christo personas. Errarunt Eutyches & Dioscorus, asserentes unam in Christo naturam. Errarunt Pelagiani, negantes peccatum originale, & necessitatem gratiæ. Errarunt Donatistæ & alii plures. Qui omnes, propter suos errores, ab Ecclesiæ damnati, & tanquam putrida membra, abscissi*



abscissi sunt. At questio est, an tota Ecclesia Christi, seu tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ovibus constat, possit errare in aliquo puncto vel articulo fidei? Vel, ut clarius dicam, an Christus, qui Ecclesiam suam gubernat, permissurus sit, ut ipsa tota, quatenus toto orbe diffusa est, publicè profiteatur aliquod dogma, quod sit contra fidem vel Evangelium? Hic à nobis dissentiunt adversarij. Ajunt totam Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse, & multis seculis, usq; ad tempora Lutheri, in errore perstitisse. Vel, ut alii loquuntur: totam periisse & defecisse; non quod perierint aut defecerint homines, ex quibus constat Ecclesia visibilis; sed quod defecerit eorum fides, & sincera religio. Ita passim Lutherani & Calvinistæ.

II. Initiò laudandum est in Becano, quod non ut cæteri Papistæ, (quos Bellarm. l. 3. de Eccl. milit. reprehendit, ut qui otiosè tempus terant) subjectum hujus quæstionis absolutè ponat, & simpliciter sine determinatione quærat, an Ecclesia possit errare: sed distinctè loquatur, ut sic sine ambiguitate intelligi queat, ipsum nō quærere de Ecclesia, quovis modo considerata; sed de Ecclesia visibili, ut tali, uti etiam subjectum hoc in subsequente ἐξήγησεν, & status formatione pluribus limitat, & sic omnem ambiguitatem declinare satagit.

III. Verum enim verò, cùm in ultima status controversiæ definitione illum rursus ambiguè & confusè proponat; simulq; non tantùm Calvinianos, sed etiam nos Lutheranos triplici crassissimo mendacio oneret; multum de laudè ejus decedit. Illo enim demonstrat, se haut meliorem esse cæteris, sed æquè cum sociennis ambiguitate, & sic sophisticè falsitatem involvere, & sub specie veri obtrudere incautis velle. Hoc verò se impudentem calumniatorem prodit.

IV. Quod enim primum, nimirum definitionem status Controversiæ, attinet, illa est data ejusmodi, ut duntaxat accipi possit de Ecclesia collectiva; quæ verò Pontificiis distinguitur, à Representativa; Et licet utraq; illis ab errore immunis prædicetur, fit tamen id eo sensu, ut Representativa, quæ est vel solus Papa, vel Papa cum suis Clericis, πρωτος nō errare statuatur; colle-

*collectiva* verò tota tantum secundariò, dependenter, & propter illam Repræsentativam, adeò ut ipsi's Synonyma ferè sint: *Ecclesia non potest errare: Et Papa non potest errare*, cùm Papa repræsentet, ipsorum erroneo iudicio, totam Ecclesiam.

V. Deinde injuriosè Lutheranis affingit, credere nos  
1. *Totam Ecclesiam visibilem primis quingentis annis habuisse veram fidem & religionem, sicq; sine omni errore fuisse.* 2. *post quingentos annos totam Ecclesiam visibilem errasse.* 3. *Et tandem totam Ecclesiam perisse, & defecisse usq; ad tempora Lutheri.* Quot hic verba, tot mendacia.

VI. Primum purum putum mendacium esse clarissimè constat ex disp. 12. hujus collegij, in qua th. 73. & seqq. demonstramus ex scriptura quatuor diversas Ecclesiæ facies. Quarum prima fuerit temporibus Apostolorum, omniumq; clarissimè & maximè conspicua: quod illi, Christi delegati, doctrinæ Evangelij, sicut eam veram & sinceram à Christo ipso acceperant, sic quoq; per singularem spiritus sancti assistentiam, puram & incorruptam in toto terrarum orbe prædicaverint. Interim ut etiam Doctores illi Apostolici ab omni errore immunes fuerint; Satanam nihilominus etiam tam mysterij iniquitatis principia posuisse, ex Apostolo 2. Thes. 2. v. 7. demonstravimus.

VII. Alteram faciem subsecutam esse diximus post abitum ex hac vita Clarissimorum illorum syderum, Apostolorum nempe, sanctorum Patrum temporibus: qui sanè in puritate illa doctrinæ cælestis nequaquam Apostolis æquales censendi: cùm superstitionum errorumq; non levium apud Patres ingravescentium exempla obvia sint quàm plurima, quibus Ecclesiæ facies paulatim obumbrata, obscurius lucere cœperit, aliquo modo etiam hæreticorum procellis magis magisq; involuta fuerit. Taceo, quod Lutherani in Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano, Justino martyre, Lactantio, Hilario, in ipso Hieronymo, & aliis notamus errores non leves: qui verò omnes statim tempora Apostolorum sunt secuti, & ante quingentesimum annum vixerunt. Videatur *Cbennitius in Orat. de lect. Patrum.*

VIII. In posterioribus duobus duo notanda sunt. 1. quod Becanus per totam Ecclesiam omnia & singula membra, & 2. per errorem, totalem errorem in omnibus fidei articulis, intelligat, ut sit sensus: *Omnia & singula membra Ecclesie post quingentos illos annos in omnibus fidei articulis errasse, & sic totam in singulis suis membris periisse.* Quod etiam nunquam Lutheranis in mentem venit. Nam publica nostra doctrina est, Ecclesiam Christi nunquam intercideri, aut penitus deficere: Et concedamus & doceamus ab anno Christi sexcentesimo, crescente Pontificis Romani dominatu, religionis puritatem ita decrevisse, ut si externam Ecclesie faciem, si dogmatum abominaciones, si abusu ac superstitionum voraginem spectasses, vix profecto umbram quandam puritatis ac simplicitatis Apostolicæ Ecclesieprehendisses: Ubi tamen ne sic quidem Ecclesiam Dei defecisse asserimus, sed tantum latuisse, multis interim millibus superstitibus, qui genua sua non curvarunt coram Baal, Pontifice Romano.

IX. Quandoquidem non ignoramus, quod in medio Papatu non defuerunt, qui magno numero & spiritu Romano papatui & Dominatui acriter resisterunt, & publicis scriptis tanquam Antichristi regnum improbarunt. Videatur liber, cui titulus: *Catalogus testium veritatis*: & addatur tractatus lectu utilissimus *Nicolai de Clemangis Theologi Parisiensis*, quem anteducentos annos de corrupto Ecclesie Romanæ statu edidit. Notum etiam est, quomodo ipse Bernhardus qui ante annos quingentos, nempe circa A. D. 1091. vixit, in Ecclesiam Romanam invehatur, sic scribens: *Ipsa Ecclesiastica dignitatis officia, in turpe questum & tenebrarum negotium transiverunt: nec in his salus animarum, sed luxus queritur divitiarum: propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesiam, missas celebrant, psalmos decantant: pro Episcopatibus, Archiepiscopatibus, Abbatibus, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertant, ut Ecclesiarum redditus in superfluitatis & vanitatis usu dissipetur.* Superest, ut reveletur homo peccati, filius perditionis, Daemonium non modo diurnum & meridiannum, quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed & extollit supra  
omne,



omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et Anselmus Episcopus Havelbergensis, ante annos quadringentos, amplius talem movet querelam: *Quare tot novitates in Ecclesia sunt? Quare tot ordines in ea surgunt? Quis numerare queat tot ordines clericorum? Quis non miretur tot genera monachorum? Quis denique non scandalizetur? Et inter tot diversas formas Religionum discrepantium, tædioso non afficiatur scandalo? Imò quis non contemnat Christianam Religionem, tot varietatibus subjectam! tot adinventionibus immutatam? tot novis legibus & consuetudinibus agitatam? tot regulis & moribus monachorum, ferme annuatim fluctuantem? Et mox: Ecce videmus in Ecclesia Dei quosdam, qui pro libitu suo insolito habitu induti novum vivendi ordinem sibi eligunt, & sive sub monastica professionis titulo, sive sub canonica disciplina voto, quodcumque volunt, sibi assumunt novum psallendi modum, & cibariorum metas sibi statuunt: Et nec monachos, qui sub regula S. Benedicti militant, nec Canonicos, qui sub regula Augustini vitam gerunt, imitantur: sed omnia pro libitu suo Nova facientes, ipsi sibi sunt lex, ipsi sibi sunt auctoritas: & quos possunt, in suam societatem sub prætenu nova legis colligunt.*

X. Quod etiam de Papa ejusque regno senserunt Augustissimi Imperatores, Friderici, Heinrichi, Ludovici quartus, itaque Cæsares alij; quid Gallorum Rex Philippus Pulcher: quid Alphonsus Arragoniæ Rex. Item quid de hoc nequitiae regno Franciscus Petrarca, quid Aventinus, quid Marsilius Patavinus, quid Baptista Mantuanus, quid universa Ecclesia Waldensium, quid Johannes Hussus, quid Hieronymus Pragensis, & persecuta Bohemorum Ecclesia senserint, quo pacto multi alij per orbem Christianum de erroribus & abusibus Romanæ Synagogæ publicè sint conquesti, ex historiis & annalibus temporum evidens est, & erit suo tempore ac loco occasio sigillatim explicandi, ut contra Papistas, imò contra omnes partes infectorum fixum firmum maneat, fuisse n. per multos pios, & quidem inter hos non paucos, præcipuè auctoritatis & potètiæ, dignitatisque viros, quibus Romanenses papicolæ crassos suos, ac palpabiles errores persuadere minimè potuerint.

II. Hæc

XI. Hæc sanè nunquam nobis, uti neq; Luthero nostro fuerunt nō cognita. Ex illis autem nihil aliud colligere potuimus, quàm, ubi unus aliquis Doctor rectius sentiens, papatui contradixit: uti aliquot recensuimus: ibi quoq; plurimos Auditorum, quorum nomina & confessiones literis mandata nō sunt, extitisse, indeq; doctrinæ puritatem contra Synagogam Romanam complexos fuisse.

XII. Quid etiam vetat inde porrò conijcere, præter illos Doctores sive testes veritatis adhuc plurimos alios fuisse, qui vel metu prohibiti, scribere nō ausi fuere, vel etiam si quid scripserint, id ipsum aut temporum injuriâ, aut adversariorum fraude ac tyrannide perierit, uti & nulli dubitamus, hodieque in media Italia & Hispania, quin etiam Romæ, & passim alibi latitare non paucos, qui idolomaniam Pontificiam ex animo detestentur. Et sanè hi unum constituunt catum Ecclesiæ veræ, quæ sub ipso etiam Papatu fuit: licet ab omnibus non sint pro Ecclesia vera agniti.

XIII. His semper quoq; annumeravimus innumeram illam Martyrum multitudinem, qui multis ante Lutherum, sæculis Romanam sedem Regnum Antichristi nominarunt, damnarunt, idq; non tantum verbis ac calamo, sed & sanguine ipso & martyrio suo. Legantur Tomi duo *Martyrologij Doctoris Ludovici Rabus*.

XIV. Deinde etiam addidimus multitudinem infantum baptizatorum, qui prius in vivis esse desierunt, quàm Idolomania Pontificia intellectum illorum perverterat: Quis enim neget illos viva Ecclesiæ membra fuisse?

XV. Tandem & illos, qui à Daniele nominantur *Moab*, quod est à *patre*. Sunt enim voce istâ illi fideles significati, qui ex præcipuis catechismi capitibus, ex prælectione Evangeliorum & Epistolarum *Dominicalium*, ex historia item passionis Dominicæ, quæ semper prælegi, & utcunq; explicari solita, operatione Spiritus S. Christum mundi Redemptorem agnoverint, & simplici fide in Dei misericordia, & Christi merito acquiescentes extremum vitæ spiritum ediderint. Cùm etiam  
com-

compluribus in ultimo agone constitutis, (Deo clementissimo  
hac in parte Ecclesiam suam sub densa ignorantia, & errorum  
caligine mirabiliter regente & gubernante) ex hortulo animæ  
subinde acclamabatur, ut omnem suam spem & fiduciam in  
nihil aliud, quam in mortem, & meritum Christi collocent, hu-  
jus ipsius morte ac merito sese involvant, sicq; cōtra ignita te-  
la Diaboli muniant; utiq; nullum nobis unquam fuit dubium,  
quin reliquis errorum ac superstitionum de justitia propria, de  
meritis bonorum operum, de meritis fraternitatum & colle-  
giorum monasticorum, nec nō vi & efficacia indulgentiarum  
papalium, & similibus exitialibus stipulis per ignem istum tē-  
tationis combustis, ipsum fundamentum salutis sit firmiter re-  
tentum, sicque multi in vera fide in Christum de vita dece-  
serint.

XVI. Atq; sic in quatuor istis cætibus, etiam in medio  
Papatu Ecclesiam, licet miserè pressam, servatam fuisse, nun-  
quam dubitavimus, sed firmiter credidimus, & publicè docui-  
mus. Uti etiam præter hanc sub papali Tyrannide pressam,  
cōservatam fuisse Græcam Ecclesiam non ignoravimus. Quā-  
do quidem nūquam totum orbem occupavit Papatu, sed oc-  
cidentem duntaxat in orientem nunquam pervasit, ne quidem  
illis temporibus, quibus orientale Imperiū flaccescere cæpit.  
Hæc Papatu Romani abominationem nunquam, & sic neq;  
in hunc usq; diem approbavit, Romanum Pōtificem pro capi-  
te Ecclesiæ non agnovit, neq; Romanam Ecclesiam pro vera  
Ecclesia unquam, sed semper & in hanc ipsam horam Pontifi-  
cem Romanum, & Synagogam ejus pro Antichristo & Eccle-  
sia malignantium semper habuit. Quomodo ergo dubitare,  
vel plane negare potuerimus, ante Lutheri exortū per aliquot  
secula nullam Ecclesiam veram fuisse: cum & intra & extra Ec-  
clesiam Romanam semper servatam fuisse etiam visibilem  
constanter defenderimus: Et quidem illam ipsam, quæ in Ger-  
mania ministerio Lutheri ante seculum exorta est, & visibi-  
lis facta.

XVII. Nam licet Græcorum Ecclesia gravi errore de  
B proces-

processione Spiritus sancti à solo Patre fuerit implicata, in ipso nihilominus fidei fundamento & salutis antiquissimo & verè Apostolico, facto recto asserendo, uti & in reliquis plerisque articulis Religionis Christianæ eadem orthodoxiam retinuit, quam hodie Lutheranorum tenet Ecclesia. Et ut semper, sic hodieque eandem verbi divini veritatem cum Lutheranis cōtra Pontificios defendit, Pontificem Romanum non pro capite Ecclesiæ, sed Antichristo habet; omnem autoritatem verbo Dei tribuit, proindeque illam ab Ecclesia pendere negat, Ecclesiam illi subjectam, & omnia ex solo verbo decidenda & dijudicanda esse asserit, Ecclesiam errare posse agnoscit, traditiones æqualem cum verbo Dei autoritatem habere negat, per lapsum primorum parentum hominē libero arbitrio esse privatam, docet, eūdem nobiscum Baptismum, sine omni superstitione retinet, peccati originalis culpam per Baptismum remitti, ipsum autem peccatum manere tradit; utramque speciem Dominicæ cœnæ laicis quoque porrigit, mutilationem cōtra Papisticam Sacrilegium manifestum, Pontificiosque, alteram speciem cōmunicantibus denegantes, mortaliter peccare pronunciat. Missam Pontificiam damnat; purgatoriū negat; à Pontificijs indulgentiis abhorret: ciborum distinctionem improbat, neminem ad cœlibatum cogit, sed liberum relinquit: Et sic in plerisque aliis nobiscum consentit, uti præter alia argumenta & documenta publicè extantia, cōfessio Græcorum, à Reverēdo Patre Dn. Metrophane, Hieromonacho Critopolo, Patriarchæ Cōstantinopolitani & Alexandrini sigillifero summo, nec non Archiepiscopo designato Cōstantinop. ad petitum amici cujusdam Venetiis scripta, & hisce diebus mihi transmissa, me maximoperè exhilaravit & confirmavit. In nunc, Jesuita, & calumniare, Lutheranos sentire, post quingentos annos totam Ecclesiam visibilem errasse, imò totam periisse & defecisse.

XVIII. Ut ergò status controversiæ rectè definiatur, & distinctè proponatur; distinguendum est 1. inter Ecclesiam triumphantem Beatorū in cœlis; & militantem adhuc in terris. 2. Deinde inter Ecclesiam Catholicam, sive Universalē & particu-

ticularem. 3. Inter Ecclesiam visibilem & invisibilem. 4. Et deniq; inter totam vel partem aliquam vel singula membra, sive individua. Deinde in prædicato distinguendum inter errare absolutè & simpliciter: & tantum secundum quid, & cum certa conditione.

XIX. Circa primam distinctionem per se liquet, non quæri de Ecclesia triumphante Beatorum in cœlis: qui amplius errare nō possunt: sed de cœtu ac multitudine in terris? Deinde circa alterius distinctionis membrum *universale*, quando movetur quæstio & sic formatur: *An Ecclesia universalis possit errare; tum & in subiecto & in prædicato potest esse ambiguitas: & accipi ratione subiecti de omnibus universalis Ecclesiæ individuis & singulis ejus membris: & deinde ratione prædicati, de totali errore in omnibus articulis fidei, ut sit sensus: An possibile sit, ut singula Ecclesiæ universalis individua & particularia ejus membra omnia simul errent in omnibus articulis fidei. Ut verò illud Ecclesia Lutherana nunquam docuit; sic etiam ut absurdissimum semper rejecit & contra docuit, sic Ecclesiam Universalem errare non posse, ut ex modo disputatis liquet.*

XX. Eodem modo si secundum tertiam divisionem ita formetur quæstio: *An universalis Ecclesia secundum omnia sua membra possit errare: Negamus nos Lutherani, & semper cœtum Electorum, soli Deo notorum, excipimus. Si autem quæratur: An tota visibilis Ecclesia errare possit, quoad publicum ministerium? Affirmamus Lutherani, sed adhibita distinctione, inter errorem partialem & totalem. Quare illam porrò sic limitamus; Totam quidem Ecclesiam visibilem, quoad publicum ministerium errare posse; sed non totaliter, & in omnibus articulis fidei. Unde verus status controversiæ ita formatur: *Utrum tota visibilis Ecclesia, quoad publicum ministerium in quàm plurimis fidei articulis errare possit. Et affirmamus nos Lutherani, asserentes fieri omninò posse, ut omnes Ecclesiæ particulares, proindeque tota Ecclesia visibilis corruptelis & erroribus involvatur, splendorq; externus ferè omnis deficiat, ut non supersit aliquis illustris ac conspicuus cœtus, qui per omnia puro verbi ministerio publicè sonante**

gaudeat. Pontificij verò id negant. Videndum ergo nunc est, quomodo istam negativam opinionem defendere. Beccanus satagat.

XXI. Sed, inquit §. 29. manifestè refelluntur ex concessis. Primò quia ipsi concedunt esse articulum fidei, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit. Et hoc sensu interpretantur illud, quod in symbolo profiteamur. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, ut supra ostensum est. At articuli fidei semper sunt veri, nunquam falsi: ergo semper verum est, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit. Ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem, post primos quingentos annos defecisse, & multis seculis nullam fuisse visibilem Christi Ecclesiam. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere: credo sanctam Ecclesiam Catholicam.

XXII. Respondemus primùm verba illa symboli, quibus confitemur, nos credere Ecclesiam, potius de Ecclesia vera & invisibili, quam de Ecclesia quatenus visibilis est, & externa sua specie, forma ac notis in conspectum omnium cadit, intelligenda esse, ut ex illis, quæ supra disputavimus, liquet: cūq; id, quod ita externo sensu percipitur, non opus sit, ut credatur. Fides enim est eorum tantùm, quæ nō videntur, sive sensu percipiuntur. Hebr. 11. v. 1. Quocirca licet Ecclesia visibilis sit suis externis notis: nihilominus, quod in illo visibili catu vera Ecclesia sit, id tantùm credimus, nequaquam videmus. Quare illa non est simpliciter nostra sententia, quam nobis affingit Beccanus: sed quando dicimus nos credere Ecclesiam visibilem: hoc volumus: nos credere in visibili illo catu, in quo visibiles notæ Ecclesie veræ conspiciuntur, delitescere, & reverà contineri aliquam in visibilem veram Ecclesiam, soli Deo cognitam & perspectam.

XXIII. Deinde nullā est consequentia; Lutherani credunt aliquam Ecclesiam visibilem: Ergo credunt eam simpliciter omni tempore fore visibilem, vel semper æquè visibilem, & notis suis conspicuam. Negavimus & illud supra similitudine à variis illuminationibus lunæ desumpta. Ut luna interdum tota est conspicua, interdum tantùm dimidia, interdum vix quar-

quarta pars, interdum autem planè conspectum nostrum fugit, non quod ipsum corpus lunæ planè interierit, sed tantum quod ad tempus nullum splendorem oculis nostris objiciat; sic etiam suas hisce in terris mutationes pati visibilem Ecclesiam demonstravimus; ut potius interdum credenda, & sic oculo mentis, quàm corporis intuenda. Ita credimus, in medio Papatu fuisse Ecclesiam & etiamnum hodie esse; cum ibi adhuc sit verus Baptismus, præcipua Catechismi capita, & publicè sonent Evangelia & Epistolæ Dominicales &c. Licet igitur ibi tenebris involuta videatur tota Ecclesia: interim ex illis iudiciis adhuc omninò colligendum est, quædam vera in tanta Baptizatorum multitudine delitescere Ecclesiæ membra.

XXIV. Tertiò concedimus hanc consequentiam: *Articuli fidei semper sunt veri, nunquam falsi. Ecclesiam visibilem dari est articulus fidei. Ergo Ecclesiam visibilem dari semper est verum.* Verùm inde sequi: Ergo Ecclesia est semper æquè vel omninò visibilis: id est, quod negamus. Dari rosas, semper est verum; licet hyberno tempore non dentur: sic lunam pati Eclipsin semper est verum, sed inde non est inferendum: ergo luna semper patitur Eclipsin.

XXV. Quarto veritas Jesuitica est, quod rursus nobis affingit, nos statuere, *Ecclesiam visibilem post primos quingentos annos defecisse totam, & multis seculis post nullam planè fuisse visibilem Ecclesiam: contrarium enim demonstravimus.*

XXVI. Tandem si vel maximè hæc nostra esset sententia, post quingentos primos annos usque ad reformationem à Luthero institutam, nō fuisse Ecclesiam visibilem, neq; omnibus cōspicuum fuisse, inde tamen nequaquam posset inferri, non licuisse tum dicere: *Credo sanctam Ecclesiam.* Nunquam enim ita latet Ecclesia, quin ab aliquibus conspiciatur, si non à mūdō & multitudine errantium sive infidelium, à fidelibus tamen & piis confessoribus, conjunctim exulantibus & latentibus. Adde & hoc, quòd fideles sciant, in generali illa & publica defectione visibilis Ecclesiæ non penitus desinere esse Christi Ecclesiam: proindeq; certo credant, & sibi persuadeant, ma-

nere, & in illo publico cætu errantium Christi Ecclesiam respectu fidelium, & electorum, in illo quoad politicam ac civilem conversationem contentorum, verâ autem & salvifica fide semper ab illis distinctorum imò separatorum.

XXVII. Pergit Becanus ad secundam suam rationem §. 26. *Secundò, inquit, concedunt etiam adversarij, Ecclesiam visibilem esse sponsam Christi, ut conclusione secunda dictum est. Hinc formato duplex argumentum; Unum ex parte sponsi, qui indissolubili vinculo conjunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus Eph. 5. 31. Et prædictum est ab Osea c. 2. 19. Sponsabo te mihi in sempiternum. Ergo nunquam ab ea separari potest. Alterum ex parte sponsæ, quæ ad perpetuam subjectionem, & fidem conjugalem obligavit se suo sponso, ut insinuat idem Apostolus cum ait: sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis subditæ sint in omnibus. Quasi dicat; Ecclesia est norma seu exemplar subjectionis & fidelitatis, cui mulieres conformare se debent. At non esset norma fidelitatis, si post aliquot annos deficeret à suo sponso, & fieret adultera. Unde Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ: Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est & pudica.*

XXVIII. Quomodo à nobis concedatur, Ecclesiam visibilem esse sponsam Christi, explicatum est disputatione præcedente 16. nempe negavimus totam Ecclesiam visibilem esse sponsam Christi: sed id axioma tantùm competere cætui fidelium, in visibili Ecclesia contentorum, & quidem ratione fidei, quæ cum Christo sponso suo uniuntur: quæq; non nisi Deo visibilis est. Ut autem nunc hæc spiritualis est, ita in externos oculos non cadit, proindeq; corporis oculis non subiecta. Quia autem hæc est ratio ac nota sponsæ Christi: illa autem est invisibilis; sequitur, sponsam Christi, ut talem, non visibilem, sed potius invisibilem esse, & nemini cognitam nisi Christo, qui solus est scrutator cordium, & eorum, quæ in corde habentur, Job. 2. v. ult.

XXIX. Sed videamus argumenta Bècani. Primum ita potest formari: Quæ Ecclesiam sibi Christus, tanquam sponsam perpetuam, indissolubili vinculo conjunxit; illa à Christo nunquam



quam potest separari, & ita non deficere, vel errare in fide: Ar-  
qui Ecclesiam visibilē sibi Christus, tanquam sponsam perpe-  
tuam, indissolubili vinculo conjunxit. Ergo Ecclesia visibilis à  
Christo nunquā potest separari, & sic nunquam deficere, vel  
errare in fide. Minorem probat ex Epistola ad *Eph. 5 v. 31. 32.* ubi  
docetur, ut maritus & uxor fiunt una caro indissolubilis: sic  
quoq; Christus & Ecclesia. Et *Osee c. 2. v. 19.* prædictum est: *spon-  
sabo te mihi in sempiternum.*

XXX. Respondemus primū ad majorem, laborare  
illā fallacia, & vitio à dicto secundum quid ad dictū simplici-  
ter. Illa demum Ecclesia nunquam & simpliciter à Christo se-  
parari nequit, quæ vinculo absolutè & sine ulla conditione  
indissolubili Christo conjuncta est. Jam ad minorem dicimus,  
quod visibilis Ecclesia ejusmodi absolutè, & sine ulla cōditio-  
ne indissolubili vinculo Christo juncta non sit. Nam quod at-  
tinet promissionē illam ex Osea allatam, non illa est absoluta  
& simplex, sed conditionata, nēpe si vocem sponsi sui audiat, &  
sequatur. Quemadmodum conditio hæc disertè exprimitur  
*Joh. 8. v. 31. Si manseritis in sermone meo, verè mei discipuli eritis.*  
Et *Joh. 15. v. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione  
mea.* Et, *vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego precipio vobis.* 2. De-  
indè illa indissolubilitatis promissio est intelligenda ex parte  
Dei, proindeq; de ejus fidelitate, quod Deus pactū illud, quod  
inuit cum populo suo nunquam rumpere velit, modò à parte  
Ecclesie non dissolvatur. Quomodo autem illud observet, in-  
de est manifestum, quod ferè per omnes Prophetas Deus con-  
queratur de pacti, adeoq; vinculi, violatione.

XXXI. Conditionatam porrò illam indissolubilita-  
tē arguit ipse, à Becano ex Epistola ad Ephesios adductus lo-  
cus: Is enim ejusmodi nobis suppeditat argumentum: Qualis  
est unio & vinculum indissolubile inter maritum & uxorem,  
talis quoq; est unio & vinculum indissolubile inter Christum  
sponsam & Ecclesiam sponsam suam: At inter maritum & u-  
xorem unio & vinculum indissolubile est conditionatum: Er-  
go etiam unio & vinculum inter Christum & Ecclesiam non  
est sim-

est simplex & absolutum, sed conditionatum. Minor probatur ex *cap. 5. Matth. v. 32.* ubi dicitur, quod conjugale illud vinculum non solvi possit, nisi causa stupri. Ergo indissolubile est vinculum conjugale, modò non frāgatur fides conjugalis. Ergo eodem modo vinculum uniens Christum & sponsam suā, indissolubile est sub hac conditione, modò Ecclesia maneat in fide conjugali spirituali. Ut autem fieri potest, ut in carnali illo conjugio fides conjugalis violetur, & sic conjugium solvatur. Sic quoq; contingit, ut spōsa Christi, à fide, sponso suo data, deficiat, & sic conjugium spirituale tollatur.

XXXII. Secundum Becani argumentum est: Quæ Ecclesia se suo spōso ad perpetuam subjectionem & fidem conjugalem obligavit, illa à suo sponso, neq; deficere neq; fidē datam violare potest: Atqui Ecclesia visibilis se Christo sponso suo ad perpetuam subjectionem & fidem conjugalem obligavit. Ergo Ecclesia visibilis à Christo sponso suo non potest deficere, vel fidem datam violare.

XXXIII. Respondemus ad majorem, illam falsam esse. De jure quidem deberet in genere, quælibet sponsa fidem spōso datam sanctē & inviolatē servare: Id autem, sæpius de facto non observari, testantur adulteria utiq; obvia. In specie verò de spirituali sponsa, nempe Ecclesia contrarium testantur, & sacrae literæ & historiae Ecclesiasticæ. Ecclesia visibilis Israelitica, quoties pactum cum Deo iniit, & ad perpetuam subjectionē sese obligavit. Notetur tantum impræsentiarum exemplū, quod extat *Josult. cap.* Ubi Jehova omnes tribus Israelis in Sechē convocat, easq; commemoratis beneficijs divinis ad perseverantiam in cultu Dei hortatur, & fœdus inter Deum & Israelitas renovat: ubi populus multis solennibus obtestationibus promittit, se Jehovæ servitutum, & ejus solius voci, auscultaturum: ipsiq; testimonium perhibetur *v. 31.* quod Jehovā coluerit omnibus diebus Josuæ: statim verò post mortem ejus defecit à Jehova *Jud. 2.* ubi frequens Israelitarum perfidia, & Dei in eos ultio summatim declaratur.

XXXIV. Aliàs frequentissimæ extant querelæ Prophe-  
tarum

tarum de horrenda Ecclesiæ Israeliticæ visibilis Apostasia, 2.  
*Paral. 15. v. 3. Es. 1. v. 3. Jer. 2. v. 8. 11. 13. 26. & seqq. cap. 3. v. 6. cap. 5. v. 1.  
cap. 6. v. 13. Ezech. 22. v. 26. 28. 30. Os. 4. v. 1. & seqq.* Quas, si scriptu-  
ram legit Jesuita, & non observavit; sanè sine intellectu, & sen-  
su eam legit, h. e. more Jesuitico legit; eam in perverfos sensus  
torquendo.

XXXV. Historiæ quoq; Ecclesiasticæ testantur, quo-  
modo integræ Ecclesiæ corruptæ fuerint, & à vera ac ortho-  
doxa fide defecerint. Annon Arrianismus, olim totam Græciam,  
imò totum orientem occupavit, adeò ut ipse etiam Athanasius  
in exilium pulsus fuerit? Annon etiam in hunc usq; diem mul-  
tæ Ecclesiæ, quæ antiquitus in oriente pulcherrimè floruerunt,  
horrenda Idolomania Turcica oppressæ, & planè deletæ  
jacent?

XXXVI. Nihil terriò juvat Becanum, quod ex Apo-  
stolo addit & colligit, Ecclesiam debere esse normam, & exē-  
plum fidelitatis. Sic autem vult argumentari: quod est norma  
& exemplar fidelitatis & subjectionis, cui mulieres sese con-  
firmare debent; illud non potest deficere & adulterari: Atqui  
Ecclesia visibilis est norma & exemplar fidelitatis & subjectionis;  
cui mulieres sese debent conformare: E. Ecclesia visibilis  
non potest deficere & adulterari. Minorem probat ex *Eph. cap.  
5. v. 22. & seqq.*

XXXVII. Respondemus negando Majorem. Expe-  
rientia enim testatur, quomodo quotidie normæ ac mensuræ  
adulterentur. Ideoq; rursus Major vera est de jure. Normæ qui-  
dem jure non deberent adulterari: contrarium verò quotidie  
fieri, experientia testatur: E. licet non deberent Ecclesiæ adulte-  
rari; possunt tamen: cum quotidie adulterentur: ubi autem  
actus & factum datur: ibi potentia & possibilitas præsup-  
ponitur.

XXXVIII. Quod ergo attinet ad locum Apostoli, in-  
de nō plus potest inferri, quàm quòd uxores debeant esse sub-  
jectæ & fideles maritis: quemadmodum Ecclesia visibilis de-  
bet esse subjecta & fidelis Christo. Quare quamdiu Ecclesia vi-  
sibilis

visibilis id facit, quod hic mādatur, & ipsa promisit; tam diu quoque ut vera est Ecclesia, sic quoq; norma est subjectionis & fidelitatis. Quod etiam & nihil amplius inculcat Apostolus. Quod si verò visibilis Ecclesia mandatum hoc trāsgrediatur, & promissionem suam nō seruet, sed à sponso suo deficiat; tum quoq; ut vera Ecclesia amplius non est; sic neq; norma est subjectionis ac fidelitatis, juxta quam se mulieres conformare debent.

XXXIX. Tandem Cypriani quoq; dictum inconuenienter allegatur: quippe quod de Ecclesiā electorum, siue invisibili loquitur; quæ verè sponsa Christi est, & nequaquam ita potest adulterari, ut finaliter deficiat à Christo: sed in ipso manet in perpetuum.

XL. Sequitur nunc tertium argumentum apud Beccanum: Tertio, inquit, §. 27. *Ecclesia visibilis est domus Dei, de qua Christus in Evangelio Matth. 19. 18. super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam. Ubi duo promittit. Primò, quòd velit Ecclesiam suam ædificare super petram. Secundò, quòd portæ inferi non sint eam expugnaturæ. In utroque alludit ad id, quòd Matth. 7. v. 24. dixerat, sapientem architectum esse, qui ædificat domum super petram: stultum, qui super arenam. Causam addit, quia quando oritur aliqua vebemens tempestas, mox corruiat illa, quæ super arenam; non altera, quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & ædificare Ecclesiam suam super petram, ut nullā ventorum aut imbrum vi possit disturbari. Hinc patet, eos magnam injuriam irrogare Christo, qui asserunt Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere, & re ipsa defecisse. Nam inde sequitur, non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam: ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum. Imò fuisse mendacem, quòd promiserit, se super petram ædificaturum, & non fecerit: quòd dixerit, portas inferi non prævalituras, & prævaluerint. Hoc argumento usi sunt pleriq; Patres, ut postea videbimus.*

XLI. Respondemus primùm ad dictum Matth. 16. v. 18. **Concedere nos contineri verbis illis Christi promissionem de**  
perpe-

perpetuam nullisq; seculis interrumpenda conservatione Ecclesie, quæ suo fundamento, quod Christus est, innixa, contra omnem Diabolorum impetum inconcussa perstet ac consistat. Respexisse autem Christum ad id, quod *Matth. 7. v. 24.* dixerat. *se auditorem, qui non tantum sermones suos audiat, sed etiam faciat, assimilaturum viro prudenti, domum suam, super petram ædificanti,* pernegamus: quandoquidem loca ista nequaquam sunt parallela. Illo enim *Matth. 16.* agit Christus de Ecclesia, & de toto cætu visibili vocatorum: hic verò de quovis Christiano auditore concionum verbi: & in illo duo requirit 1. ut audiat illas. 2. deinde ut faciat, hoc est, vitæ suæ rationes ad verbi auditi præscriptum conformet: quomodo etiam Christus auditores suos monet sub parabolâ de quadruplici semine *Luc. 8.* diversa scilicet auditorum genera distinguens: quorum tria audiant quidem auribus, in cor verò nō transferant, nec in vitâ suâ fructificantis in se verbi documenta ostendant: unum autem, quartum nimirum, id duntaxat faciat. Unde manifestum discrimen inter integram Ecclesiam visibilem, & inter veros ac fideles verbi divini auditores, qui tantum quartâ partem cætus illius visibilis constituent. Quomodo ergo ea, quæ singulariter & differenter huic quartæ parti, & ejus individuis, quibus constat (nempe quatenus hæc à cæteris tribus distinguitur) cōpetunt, poterunt extendi ad universam Ecclesiam visibilem? Hoc verò facit Becanus, quando ex duobus illis locis parallela facit. Ergo manifestum est, quod Sophisticè agat, & dolosè dicta de diversis rebus agentia, per se invicem explicare satagat, & sic decipiat.

XLII. Quocirca si omninò posterius dictum *Matth. 7. v. 24.* cum priori conferri debeat, tantum id poterit fieri secundum quid, nempe respectu quartæ duntaxat partis in Ecclesiâ visibili contentæ, & ejus individuorum.

XLIII. Sed resolvemus hanc Becani rationem in formam syllogisticam, ut ejus vis magis sit conspicua. Sic autem vult argumentari: Quæ Ecclesia est domus prudenter ædificata non super arenam, sed petram; illa non potest errare in fide:

C 2

Atqui

Atqui Ecclesia Christi visibilis est domus prudenter ædificata, non super arenam, sed petram: E. Ecclesia Christi visibilis non potest errare in fide.

XLIV. Respondeo r. ad majorem, eam laborare fallaciâ phraseos: nam ædificatum esse super petram, non indicat absolutâ infallibilitatem; quæ omninò requiritur, ut quis nullo modo erret in fide: sed indigitat firmitatem oppositam quidē totali subversioni, non verò partiali labefactioni. Quod resolutione Metaphoræ & similitudinis est manifestum. Nam quemadmodum ædificium supra petram exstructum, percussum à fluctibus irruentibus, & percutientibus solo adæquari nequit, licet quoad partes damnum sæpius non exiguum cōtrahat: Sic quoq; Ecclesia ædificata super petram Christum, licet innumeris tentationum, calamitatumq; & persecutionū fluctibus vastissimi & impetiosi hujus mundani maris, à ventis infernalibus agitati, petatur & quassetur: exindeque sæpius multis partibus minuatur: externiq; sui splendoris ac dignitatis præsentissimam jacturam faciat; non tamen propterea tota quit subverti ac deleri: sed semper manent, qui firmiter petrae illi spirituali adhæreant, & in fide constantes perseverent.

XLV. Nihil ergo amplius & similitudine Christi, cui innititur major, potest effici, quam, *Ecclesiam super petram ædificatam, non quidem funditus everti posse, atq; sic totaliter in fundamento fidei errare*; interim tamen quoad multas partes contundi, attenuari, frangi, & sic in angustum deduci.

XLVI. Deinde minor quoq; tantum secundum quid vera est. Nam per petram intelligitur Christus, super quem tantum ædificantur, qui verâ & salvificâ fide sunt præditi, & non simpliciter Ecclesia visibilis. Sic explicat, & rectè exponit locum hunc Matth. 17. v. 18. Nicolaus Lyranus: *Et ego dico tibi, id est, pro te & sociis tuis: & quia tu es Petrus, id est, confessor petrae verae, quæ Christus est, & super hanc petram, scilicet quam confessus es, id est per Christum: & ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, id est, persecutiones Tyrannorum, & insultus & tentationes spirituum malignorum: & non prævalebunt adversus eam, scilicet à verâ fide subverten-*

vertendo. Ex quo patet, quòd Ecclesia non consistat in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticae vel secularis, quia multi principes, & summi pontifices, & alij inferiores inventi sunt, apostatasse à fide: propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia, & vera confessio fidei ac veritatis. Hæc Lyranus ante trecentos annos verè ac piè scripsit, & nobiscum locum hunc non de toto visibili & splendore externo corruscante cætu, sed tantùm de fidelibus interpretatus est, quòd illi soli in Christo fundati veram Ecclesiam Christianam constituent.

XLVII. Quod verò adhuc evidentius erit, quando firmiter demonstratum fuerit, per petram non Petrum, neque propter hunc Papam Romanum vel Ecclesiam &c. Sed unicū & solum Christum indigitari. Id verò nos liquidum faciemus non nostris vel verbis vel rationibus: sed illorum, quorum non tantùm argumenta, sed etiam auctoritatem personalem admittere coguntur Papani, Jam audivimus, Lyranum locum hunc de solo Christo & interpretari & demonstrare. Idem facit Augustinus tractatu ultimo in Johannem mihi p. 572. C. Ecclesia, inquit, in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, flaminibus, tempestatibusq; quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippe ait Dominus super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus, tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, edificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse edificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus 1. Cor. 3. Idem repetit libro primo Retractat. cap. 21.

XLVIII. Cum Augustino per omnia convenit Ambrosius sermone 84. Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Cum vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: bibebant de spiritali petrâ: petra autem erat Christus. Rectè igitur, quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum

Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet, & nominis Dominici unitatem, ut sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à petra Christo Petrus Apostolus vocaretur.

X L I X. Consentit etiam Chrysostomus: Super hanc petram, inquit, non super Petrum. Non enim super hominem, sed supra fidem Petri edificavit Ecclesiam suam. Quæ autem erat ejus fides? Tu es filius Dei vivi. Sic Hilarius libro 6. de Trinitate: Petro revelavit pater, ut diceret: Tu es filius Dei vivi: super hanc igitur confessionis petram Ecclesia edificatio est. Hæc fides Ecclesie fundamentum est. Et Theophylactus ad confessionem Petri respiciens dicit: Quia enim confessus erat Christum Dei filium Petrus, dixit, quod hæc confessio, quam confessus est, fundamentum erit futurum, credentium, ita ut omnis homo exstructurus fidei domum, hoc jacturus sit fundamentum. Nam innumeras credamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter edificamus.

L. Veritate igitur hac evidenti, & à tota antiquitate unanimiter approbata, & defensa in conscientia sua cõvicti, multi scriptores Pontificij Petram non de Petro, vel ejus successore Pontifice Romano interpretantur, sed unicè de Christo Domino. Sic Petrus Majoris negat hic primatum Petro aut Papis donari. Et Petrus Alliacus Cardinalis in recommendatione S. Scripturæ: Videtur, inquit, quòd non in petra Petrus, sed in petra Christus sit intelligendus, de qua agit Apostolus, petra autem erat Christus. Quis enim in Petri infirmitate Ecclesie firmitatem stabiliat, de cujus infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat? Idem facit Johannes Arborius Theosophiæ lib. 5. c. 1. ubi ex professo disputat Ecclesiam esse fundatam super petram, & non super Petrum.

L I. Et si omninò ad personam Petri esset referenda illa dictio Petra, ut à Theophylacto facta videtur, & nonnullis aliis Patribus, imò alicubi ab ipso Augustino, ut refert ipse libro 1. Retractionum cap. modo allegato 21.; tum verò soli Petro, & non simul successoribus esset tribuenda. Fuisset enim dicta de ipso non quovis modo, sed tantùm ut Apostolo: sicut omnes Apostoli dici possunt fundamentum ministeriale, hoc est, ejusmodi



modi Doctores, qui primi jecerunt fundamenta Ecclesie, hoc est, eam docuerunt doctrinam, cui Christiana fides innititur. Cum ergo Petrus in Apostolatu nullos omnino habeat successores, ut nec reliqui, adeo ut ne ipsi quidem Pontifices Roman. qui sibi hoc successionis jus arrogant, audiant se Apostolos appellare, sed tantum Episcopos, manifestum est, inertissime verba illa longius extendi ultra Petrum.

LII. Hæc quia clara & certa sunt, sic argumentamur: Quicumq; est ædificatus super petram; ille ædificatus est super Christum; vel omnino super confessionem & doctrinam Apostolicam: Atqui nulli infideles sunt ædificati super Christum, vel confessionem & doctrinam Apostolicam: E. nulli infideles sunt ædificati super petram. Major est certa: quippe hæcenus demonstrata. Petra enim est ipse Christus. Minorem nemo negabit. Ergo sic porro inferimus: Nulli infideles sunt ædificati super petram: In Ecclesia visibili multi sunt infideles. E. in Ecclesia visibili multi non sunt ædificati super petram: Et per consequens verum est, quod Ecclesia visibilis tantum secundum quid sit ædificata super petram; nempe duntaxat quoad fideles. Illi vero proprie sunt Ecclesia invisibilis: cui accidit, quod sit visibilis, hoc est, in cætu visibili: cum etiam extra illum esse queat. Ergo proprie loquendo Ecclesia visibilis non est ædificata super petram: sed Ecclesia invisibilis: cum non quatenus visibilis est; sed tantum quatenus in illa continetur invisibilis Ecclesia; & sic quatenus invisibilis, est ædificata super petram salutis Christum per fidem.

LIII. Uti illud disertis verbis docetur loco à Becano allegato *Matth. 7. v. 24.* nempe tantum illos, qui sermonem Christi audiunt & faciunt, similes esse illis, qui ædificant domum suam super petram. illi autem sunt soli Electi Dei filij. & nequaquam omnes, qui Ecclesiam visibilem frequentant: sed qui in Ecclesia illa oculis corporeis non videntur, nempe quatenus Electi sunt: quandoquidem fieri omnino potest, ut Ecclesia visibilis quandoq; quoad ministerium publicum in multis erret: inde tamen non inferendum, Ecclesiam quoq; super petram

petram ædificatam funditus subversam esse, & periisse: cum sub falsis & errantibus Doctoribus corruptoq; ministerio vera ac viva Ecclesie veræ membra invisibiliter latere queant. Ergo & minor fallax est: & sic conclusio nulla.

LIV. Quæ cum sint certissima, in fumum abeunt Jesuitæ nugæ quando gerit i. nos magnam injuriam irrogare Christo, qui asserimus Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere. Quandoquidem non hoc, sed contrarium sequitur, nos istud asserentes nullam injuriam facere Christo: sed infirmitatem sive imbecillitatem Ecclesie militantis deplorantes, veritatem, quam ipse Christus loquutus est, & res ipsa comprobavit, confiteri: Quandoquidem errandi impossibilitas à Christo Ecclesie, invisibili & visibili, particulari & Catholicæ sive universali tribuitur non sensu pontificio, hoc est absoluto, quasi ob absolutam quandam infallibilitatem simpliciter errare non possit: sed sensu composito, & sub conditione certa, quatenus nimirum vera est Ecclesia; quatenus Spiritus S. ductum sequitur; & vocem pastoris & sponsi sui Christi unicè audit & amplectitur. Hæ verò conditiones quando absunt, nulla amplius est errandi impossibilitas.

LV. Deinde quando frivolum hanc consequentiam annectit: *Sequi ex nostra assertione, non super petram, sed super araneam fuisse ædificatam Ecclesiam, ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum.* Stultissime Jesuita, tum demum hoc sequeretur, si statueremus, Ecclesiam Catholicam, quæ est universalis ille cætus omnium & singulorum hominum, Christi nomen in hisce terris profitentium, vel etiam omnem ac totam invisibilem Ecclesiam, quæ est cætus Electorum, simul posse errare, planè deficere & interiire: vel aliquando totam errasse, planè defecisse & interiisse: verum id nunquam factum esse, neq; unquam fieri possibile esse constantissimâ fide credimus, & docemus: sed sapientissimum Christum, etiamsi non coacto, sed spontaneo cultu delectetur. *Psal. 110. v. 3.* Ecclesia tamen ita super petram ædificasse, ut, si maxime omnis Diabolorum potentia, si universus mundus, si cunctæ inferorum portæ eam oppu-

oppugnent, expugnare tamen totam aut disijcere, aut à mundo re-  
legare omnem vel planè evertere possint nunquam.

LVI. Tandem calumniam calumniâ auget Becanus, quan-  
do ex nostrâ sententiâ sequi ait, *Christum fuisse mendacem, quod pro-*  
*miserit, se Ecclesiam super petram ædificaturum & non fecerit : quod*  
*dixerit portas inferni non prævalituras, & prævaluerint.* O men-  
dacissimum & impudentissimum sycophantam ! Quando & ubi  
scripsimus vel docuimus, Christum esse mendacem ? Quando  
vel ubi asseruimus, Christum promississe, se Ecclesiam super pe-  
tram ædificaturum, & non fecisse ? Dixisse portas inferni non  
prævalituras & prævaluisset ? Absit à nobis cogitare, nedum effuti-  
re ejusmodi abominandas blasphemias. Contrarium docuimus,  
scripsimus, professi sumus : nempe quod ex promissione Christi  
Petro dictâ, hæc dulcissima petatur consolatio, quod Ecclesiam  
suam Deus nunquam sit deserturus, sed perpetuò contra portas  
inferorum defensurus & protecturus : Ac proinde (adhuc re-  
petimus) si maximè Diabolorum potentia, si universus Mundus,  
si cunctæ inferorum portæ eam oppugnent, adeò, ut secundum  
externum ejus ministerium ita à veritate (ut in Papata) deficiat, ut  
non sit fundata super petram, neq; columna veritatis maneat;  
nunquam tamen expugnaturi, nunquam disjecturi vel everfuri  
sint totam, sed immota & inconcussa semper permanebit invisibi-  
lis Electorum Ecclesia, adversus quam portæ inferorum nihil o-  
mnino prævalebunt. Atq; hinc esse persuasi sumus, & immotâ  
fide statuimus, Ecclesiam veram in tantis furoribus satanæ &  
mundi inconcussam & inexpugnabilem persistere, solius Dei ex-  
celsi fretam & firmam præsidio, adeò, ut everfis potentissimis Mo-  
narchijs orbis terrarum, ipsam adversus conatus omnes Diabo-  
lorum & mundi sub alis omnipotentis Dei tutam degere, mane-  
req; semper illustriorem, altiorem & fortiorem montibus præda-  
torijs. Hæc nostra fides, hæc nostra confessio est.

LVII. Sequitur argumentum Quintum §. 28. *Quarto*  
*inquit : Ecclesia visibilis, dicitur, columna & firmamentum veritatis,*  
*triplici sensu, ut supra dixi. Primò quia est columna firma & stabilis*  
*qua à veritate deflectere non potest, ut explicant Catholici. Secundò,*

D

quia

qui est fidei custos veritatis, eamq; puram & sinceram ad posteros transmittit, ut vult Calvinus. Tertio, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in Ecclesia, ut interpretatur Beza. Hinc sumo triplex Argumentum. 1. Si Ecclesia visibilis est firma & stabilis: quæ à veritate deflectere non potest, certum est, non posse errare in fide. 2. Si est fidei custos veritatis, nunquam sua culpa amittit veritatem: aut si illam amittit, non est fidei illius custos. 3. Si veritas non alibi habitat, quam in Ecclesia visibili, vel ergo superioribus seculis non habitavit veritas in hoc mundo, vel si habitavit, non alibi, quam in Ecclesia visibili habitavit. Neesse ergo est, fuisse Ecclesiam visibilem.

LIIII. Initio tenendum est, phrasin hanc, Ecclesiam esse columnam veritatis duplici modo posse intelligi: vel in relatione ad homines, quibus veritatem cælestem Ecclesia commendat, & ad posteritatem propagat; vel in respectu ad sacras scripturas, ex quibus Ecclesia veritatem desumit ac docet.

LIX. Si posteriore modo intelligatur, falsa est. Quandoquidem Ecclesia hoc modo nequaquam est columna sive fundamentum veritatis cælestis (quippe quæ per se est & manet inconcussa veritas, nec in falsitatem unquam vertitur, si totus etiam reclamet mundus: vera autem Ecclesia visibilis in falsam potest mutari) sed è contrario scripturæ sacræ Propheticæ & Apostolicæ veritas fundamentum est Ecclesiæ, juxta illud Apostoli Eph. 2. v. 20. Ecclesia superstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Et murus novæ civitatis Hierosolymæ duodecim fundamentis illustris est, in quibus duodecim leguntur duodecim Apostolorum agni nomina Apoc. 21. Quod non ad personas, sed doctrinam Apostolorum est referendum. Nam personæ ratione solus & unicus Christus est fundamentum suæ Ecclesiæ, teste Apostolo I. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter hoc, quod positum est, quod est Jesus Christus.

LX. Ergo priori modo, nempe in respectu ad homines intelligenda sunt verba Apostoli ut cum primis vox columnæ & stabilimenti sive fundamenti non absolutè, sed relatè, hoc est quadam relatione ad homines conferatur, & non ad quamlibet Ecclesiam, etiam falsam, ut est Pontificia, sed tantum veram, accommodetur,

ur, quæq; columna veritatis dicatur partim relatione custodia,  
partim confessionis & testimonij, hoc sensu: Quemadmodum  
Ecclesia vera est ipsa extructa super basin sive fundamentum ve-  
ritatis Apostolicæ & Propheticæ, *Eph. 2. v. 20.* ac inde tanquam  
è quodam divino semine per fidem & auditum enata est & crevit:  
sic vicissim ipsa est vel dicitur columna sustentans veritatem divi-  
ni illius sermonis nempe confessione & professione doctrinæ cœ-  
lestis, simulq; conservatione cœlestis hujus depositi. Sic enim  
rursus Apostolus *Phil. 2. v. 15.* pios vocat *luminaria & ceu candelab-  
bra*, in mundo, lucem & sermonem veritatis sustentantia, & reli-  
quis mortalibus præcedentia aut præferentia ad vitam. Atque  
hæc etiam causa est, quod in Apocalypsi Johannis Ecclesia per  
candelabra depingatur, & Christus ipse dicit, pios esse lucem, &  
jabet eos lucere coram hominibus, *matth. 5. v. 16.*

LXI. Nullo modo ergo ex loco hoc est inferenda major  
certitudo Ecclesiæ quam scripturæ, vel Ecclesia super scripturam  
elevanda: cum contrarium ex dictis sit in propatulo. Na-  
scitur enim Ecclesia ex verbo, eoq; illuminatur ac supra  
id extructa fundataq; est, & hanc unam lucernam in hac obscura  
valle umbræ mortis, teste Petro, sequi tenetur: deniq; hanc ipsam  
lucernam in suo capite, columnæ aut phariistar sustinere & præ-  
lucere debet, non suis ad inventionibus, Patrum, & sic hominum  
traditionibus, spectrorum revelationibus ac somnijs, dicente illis  
Patre Abrahamo, habent Moſen & Prophetas, illos audiant,  
*Luc. 16.*

LXII. Unde, rursus colligere est, non tam doceri illo di-  
cto, qualis necessario sit, & semper maneat Ecclesia, quam qualis  
esse debeat, si titulo & axioma Catholicæ & Apostolicæ, hoc est,  
veræ & orthodoxæ Ecclesiæ gaudere, & in conspectu DEI com-  
mendari velit: At verò à mandato ad factum, sive ejus obse-  
quium, non valet consequentia. Debat quidem Ecclesia visi-  
bilis, etiam Romana, esse ejusmodi columna: sed, quomodo sit,  
experientia plus satis docet.

LXIII. Videamus nunc Argumenta Becani, Primum in  
hunc resolvitur syllogismum: Quæ Ecclesia est columna firma &  
stabilis, proindeq; à veritate deflectere nō potest, illā certū est erra-

re non posse in fide : Atqui Ecclesia visibilis est columna firma & stabilis, proindeq; à veritate deflectere non potest : Ergo certum est, Ecclesiam visibilem errare non posse in fide.

LXIV. Respondemus, majorem loqui de Ecclesia, quomodo esse debeat: non quomodo actu & habitu necessariò sit, ut patet ex dicti Apostolici explicatione, proindeq; virtute illius in conclusione ipsum actum & habitum, quod actu sit ejusmodi columna &c. inferri non posse. Deinde si minor sumatur de actu & habitu : Major verò loquatur ( ut dictum ) de potentia ac debito : duplicatur medium, & fiunt quatuor termini in syllogismo: unum. Deinde etiam ita intellecta, minor falsa est. Nam non visibilis Ecclesia, quatenus talis, est columna veritatis; sed quatenus in ea continentur invisibilia membra : Ergo quatenus est invisibilis, est veritatis columna. Atq; hoc modo, nempe de electis, & nullo alio, debet dictum Pauli intelligi: Quippe qui loquitur de illa Ecclesia, quæ est domus Dei, quæ est exstructa de vivis lapidibus. Potest autem cœtus Electorum & filiorum Dei veritatem cœlestem retinere, custodire & conservare, Ecclesia visibili, quoad externum & publicum ministerium, turpiter errante. Exemplo sit Ecclesia Ephesina, cujus Episcopus fuit Timotheus, quamq; ipse Apostolus commendat, quod sit columna & stabilimentum veritatis : quæ nihilominus statim & non leviter defecit, *Actor. 20. v. 29. Apoc. 2. v. 4. 5.* imò hodie tota subversa est.

LXV. Secundum argumentum Becani in hanc formam resolvitur. Quæ Ecclesia est fida custos veritatis, illa nunquam sua culpa amittit veritatem, aut si eam amittit non est fida illius custos : At Ecclesia visibilis est fida custos veritatis : Ergo Ecclesia visibilis nunquam sua culpa amittit veritatem: aut si eam amittit, non est fida illius custos.

LXVI. Respondemus & Majorem limitamus ( committitur enim in illa fallacia à dicto secundum quid ) Quæ Ecclesia est fida custos, ita ut nullo modo, ratione ac vi in errorem rapi vel cadere possit, illa nunquam sua culpa amittit veritatem. Nunc negamus Minorem, Ecclesiam nimirum visibilem esse ejusmodi fidam

fidam veritatis custodem, ut absolutè & simpliciter non possit in ullum errorem seduci, rapi vel cadere; sed semper, necessariò & infallibiliter veritatem cœlestem, puram & incorruptam ad posteros transmittere. Exemplum omni exceptione majus adduximus Ephesinam Ecclesiam: Quæ sanè fuit visibilis Ecclesia, & hoc tam honorifico Elogio ab ipso Apostolo honorata & commendata: & nihilominus pessimè erravit, hodie penitus non est. Deinde committit Becanus crimen falsi, quando Calvinum pro se citat. Quippe qui non loquitur præcisè de visibili Ecclesia, sed de Ecclesia Catholica: quo axiomaticè verè & unicè honorantur Electi; tantumque id ad totam visibilem Ecclesiam per synecdochen accommodatur.

LXVII. Hinc libenter concedimus, quod addit Becanus, Ecclesiam, quando amittit veritatem, non amplius ejus fidam esse custodem. Ephesina enim Ecclesia, quando erravit ac defecit, non fuit neque mansit, nempe tum quando erravit, neque hodie est, postquam tota deleta est, fida custos veritatis. Idem de Ecclesia Romana dici potest: quippe quæ etiam olim erat fida veritatis custos, postquam autem degeneravit, & pro veritate cœlesti traditiones humanas arripuit, ac mater facta est omnium pessimorum & horribilium errorum; utique nec fida mansit, nec hodie amplius est vera veritatis cœlestis custos.

LXVIII. Tertiò Becanus cornuto utitur argumento. *Si veritas non alibi habitat quàm in Ecclesia visibili; vel ergo superioribus seculis non habitavit veritas in hoc mundo: vel si habitavit, non alibi quam in Ecclesia visibili habitavit: Ergo necesse est fuisse Ecclesiam visibilem.*

LXIX. Respondemus nos posse concedere totam conclusionem: Nempe fuisse aliquam Ecclesiam in medio papatu aliquo modo visibilem ante reformationem Lutheri. Quandoquidem probavimus fuisse tum, & simul cum Pontificia corrupta Ecclesia extitisse Ecclesiam Græcam visibilem, quæ semper errores crassiores Pontificios improbavit ac damnavit. Deinde licet in Ecclesia Romana notæ veræ Ecclesiæ admodum sint obscuratæ, & fuerint quoque ante reformationem; tamen quia retenta fuerunt in illâ symbola, Apostolicum, Nicenum, Athanasium, præcipuæ partes

doctrinae Catecheticae, verus Baptismus, Evangelia item Domini-  
calia: ex illis notis firmiter concludimus, sub corruptissimo illo  
publico ministerio, & ferè tota Ecclesia, latitasse, & sibi Deum  
conservasse, qui genua sua non flexerunt coram Baal. Atque sic  
omniò in mediis illis & densissimis tenebris Papatus, hoc est, in  
visibili illa & corrupta Ecclesia conservari potuit veritas, non qui-  
dem ex hominum docentium intentione; sed Dei singulari dire-  
ctione & dispositione: qui verbum suum ad se redire inane non  
permittit. Hoc verò sic asserentes non possumus propterea cogi,  
ut veritatem praemissarum concedamus: Quandoquidem con-  
stat, & ex Logicis scimus: quod licet ex veris non nisi verum; ex  
falsis tamen verum interdum inferri possit.

L X X. Respondemus ergo ad hypothesein, in qua cornua  
dilemmatis sunt radicata, illam & ambiguam esse, & per crimen  
falsi Bezae tributam. Quandoquidem neque eo loci Beza agit  
de Ecclesia, ut est visibilis, sed de Catholica, ut est talis. Ambi-  
guam autem esse facile probatur. In Categoricalam namque  
quando resolvitur, tum sic habet: *veritas non alibi habitat quam in  
Ecclesia visibili.* Hujus sensus esse potest: Quod veritas pura ha-  
bitet semper in Ecclesiae membris visibilibus, & sic semper sit &  
maneat purum ministerium externum & publicum. Hoc sen-  
su neque Beza, neque nos hypothesein illam veram esse statuimus,  
quippe qui semper & haecenus in hisce disputationibus defendi-  
mus: Visibilem Ecclesiam quoad ministerium publicum in plu-  
rimis fidei articulis errare posse, & saepius quoque errasse, manen-  
te interim veritate coelesti in membris invisibilibus. Deinde po-  
test intelligi de toto coetu visibili vocatorum & baptizatorum; &  
docentes & auditores sive discentes comprehendente: atq; tum  
respondemus, quòd omniò in ejusmodi coetu visibili semper  
habitet veritas coelestis, licet non necessariò in externis & visibi-  
libus membris atque in publico ministerio. Hoc autem conces-  
so, non statim necessarium est, ut ejusmodi coetus, in quo habitat  
veritas coelestis, semper sit visibilis, & extra externum & in oculos  
incurrentem splendorem Ecclesia Electorum planè nulla esse pos-  
sit. Absit ut tam crasse cum Pontificiis erremus: quippe qui mi-  
nimè



nimè ignoramus, posse Deum alicubi sibi conservare Ecclesiam, quæ non videatur, sed invisibilis sit, ut exemplum Eliæ testatur.

LXXI. Quintum & ultimum Becani argumentum fundatur in vulgari illa sententia: *Extra Ecclesiam non est salus: & proponitur §. 29. his verbis: Quinto: Nemo potest salvari extra Ecclesiam visibilem, ut cum Catholicis disertè fatetur Calvinus: At semper aliqui salvantur: Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Falsum ergo est, Ecclesiam visibilem multis seculis non extitisse. Nam si non extitisset, multis seculis nemo fuisset salvatus. Periissent igitur omnes majores nostri, quotquot ante Lutherum per aliquot secula toto orbe vixerunt. Quis hoc credat?*

LXXII. Resolutum ergo argumentum hoc in syllogismum erit ejusmodi. *Extra quam Ecclesiam nemo potest salvari; illa semper durat & non interit: Atqui extra Ecclesiam visibilem nemo potest salvari: Ergo Ecclesia visibilis semper durat & non interit. Major nititur hac ratione: quia semper & omni tempore aliqui salvantur. Si ergo extra Ecclesiam nemo salvatur; sequitur propositionem certam esse. Minorem probat consensu Calvini.*

LXXIII. Respondemus ad majorem: Ecclesiam, extra quam salus non est, semper durare & interire non posse: veram, quidem esse: sed non ita ut sit necessarium, illam semper durare & permanere in uno loco, & sic ad certum locum, ad urbem Romanam, alligatam esse: sed potius, licet in uno loco & sic partialis quædam Ecclesia visibilis vel corrumpatur, vel plane deleatur; quod tamen semen ejus maneat, quod efflorescat & crescat, licet non in illo, tamen in alio loco hujus mundi: cum tota extingui ac deleri & sic ex omni loco expelli atque extra hunc mundum relegari nullo modo possit.

LXXIV. Deinde quod attinet probationem minoris, certum rursus est Calvinum non loqui de Ecclesia quatenus visibilis est, sed quatenus est Catholica. De illa, & ut Catholica est, vere dicitur & hæctenus assertum est: *extra Ecclesiam, nempe Catholicam & veram, non est salus: Jam vero probatum est, Ecclesiam Catholicam & veram necessariò visibilem non esse, sed potius ei accidere, quod sit*  
visi-

visibilis : hoc est, quod esse colligatur ex visibili coetu. Quocir-  
ca contra axioma illud, communiter & ab omnibus receptum,  
non est : Extra Ecclesiam visibilem aliquem salvari posse, & o-  
mnino contingere, & quidem non raro, ut quis ita salvetur : cum  
is, qui extra Ecclesiam visibilem est, verum Ecclesiae Catholicae  
membrum, & sic revera in illa esse possit, ac tum revera salvari : ut  
ergo non major, sic neque minor simpliciter est vera.

L X X V. Deinde disputat Becanus contra proprias lar-  
vas, quando porrò ejusmodi *πρόσωπα* colligit, *falsum esse, Eccle-*  
*siam visibilem multis seculis non extitisse.* Id enim nullus Luthe-  
ranorum vel dixit, vel scripsit. Cur non fingit, ut olim papani  
ante seculum & Augustanae Confessionis exhibitione calumnia-  
bantur, nos negare Trinitatem, hacque negata verum Ethnicis-  
mum in Ecclesiam invehere : vel etiam lapsum primorum paren-  
tum nos inficiari? Contrarium jam modo docuimus; Et Eccle-  
siam visibilem extra Romanam fuisse : & in ipsa Romana Ec-  
clesia etiam ante reformationem multa invisibi-  
lia membra latitasse, & hodieque  
delitescere.



Præstantis. Dn. Respond.

**Q**uod Sophia, testor de te, Brauns Doct.,  
cavere,  
errorum Syrteis dexteritate queas!  
Idem felici cursu vitare charybdim  
de Christi cætu, quâ Papa sorbet, amas.

f.

M. Nicolaus Zapfius  
Phil. Fac. Adj.

99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77







50

TERTII  
 Confessionem  
 IO XVII.  
 mens  
 TICVLI VII.  
 E

in specie  
 An Ecclesiaer  
 in Fide  
 ita  
 ia V Vittebergenli,  
 I D E  
 RTINI S.S. Th.  
 mario, Facult. Theol.  
 Arcis Præposito,  
 ENTE  
 N S Eldagiensi Brunsv.  
 legii Veteris  
 tulu.

---

ERGÆ,  
 UERBACH, Acad. Typogr.  
 CXXX.